

• S • G • B • T • B •



• T • G • G • T •



z. B. A. h

W. A.

J. q. 259.



12
DISPUTATIO DUODECIMA
In Augustanam Confessionem,

continens

ANTIΘΕΣΙΝ ARTICULI III.

De

COMMUNICA-
TIONE OMNIPOTEN-
TIÆ ET OMNISCIENTIÆ.

Proposita

In Electorali Academiâ wittebergensi,

P R Æ S I D E

JACOBO MARTINI, S.S. Th.

D. & Prof. Primario, Facult. Theol. Seniore,

Templi Arcis Præposito, ac p. t.

Academiæ Rectore,

R E S P O N D E N T E

M. EBERHARDO *Liebelern*

Dresdâ-Misnico.

Habebitur in Auditorio Collegii veteris

ad diem 4. Januarii.

WITTEBERGÆ,

Typis Hæredum SALOMONIS AVERBACH,

ANNO M DC XXIX.

DISPUTATIO DUODECIMA
In Augustanam Confessionem

CONTINENS
ARTICULUM ARITHMETICUM III.

COMMUNICATIO
TIO NE OMNIPOTENTIAE
ET OMNISCIENTIAE

In Electorali Academia Wirtembergensi

JACOBO MARTINI S. Th.

D. & P. Primario, Facult. Theol. Seniore
Templi Aevi Praeposito, ac p. t.
Academiae Rectore

RESPONDENTE

M. FERDINANDO FICHTENBERG

Publico Auditorio Collegii
ad diem 4. Januarii

WITTEBERGA

Typis Heredum SALOMONIS AVERRACH
ANNO MDCXXIX





CONTINUATIO.

HActenus egimus de omnipræsentia Christi secundum humanitatem; Sequitur nunc ut de communicata infinita potestate & scientia videamus.

THESES.

I.

Becanus, de Christo cap. 10. §. 1. primum concedit potentiam supernaturalem Christo secundum humanitatem à Deo concessam esse, idq; ad duplicem potissimum finem. Primò ad producendam gratiam, & remittenda peccata Matth. 9. v. 8. Secundò ad facienda miracula, ibidem. Deinde quærit 1. An hæc potentia faciendi miracula & remittendi peccata Christi, secundum humanitatem fuerit Physica an tantum moralis. 2. Quid Christus per illam potuerit efficere.

II. Quod priorem attinet quæstionem, duplicem ait Becanus, de ea esse opinionem. Unam, fuisse potentiam illam non physicam, hoc est, re ipsa operantem; sed moralem: atq; sic statuisse Altisiodorenses, Alenses, Bonaventuram, Richardum, Gabrielem, Durandum, Scotum, citatos apud Suarez d. 31. sect. 3. quippe qui doceant, Christum fecisse miracula & remisisse peccata per autoritatem & causalitatem moralem ratione meritorum, propter quæ concessum illi fuerit, ut opera supernaturalia fierent divinâ virtute, quando ipse vellet ea fieri in confirmationem suæ doctrinæ, vel in alium finem accommodatum ad redemptionem generis humani quam in se susceperat. Alteram opinionem; fuisse potentiam physicam, ita ut Christus secundum humanitatem realiter ac physice produxerit gratiam & patraverit miracula, non quidem tanquam agens principale, sed tanquam instrumentum Deitatis: atq; sic sensisse Capreolum, Cajetanum, Scotum, Paludanum, Ferrariensem, Vegam, Driedonem, citatos apud sundem.

A 2

III. Hanc.

III. Hanc rejicit Becanus & priorem approbat, quando §. 6. inquit: *Ego sentio tria hic certa esse: Primò, quod Christus ut Deus per potentiam divinam Physicè produxerit gratiam & fecerit miracula, tanquam agens principale: Secundò quod Christus ut homo per potentiam humanam Physicè exeruerit quasdam actiones ad miracula concurrentes. Tertiò, quod Christus ut homo sanctus & Deo gratus, ratione meritorum, moraliter effecerit, ut Deus Physicè produceret & faceret miracula, quando ipse veller. Et §. 8. Hinc sequitur, Christum duobus modis fecisse miracula (ut omittam actiones ad miracula concurrentes, quæ propriè non sunt ipsa miracula) & produxisse gratiam 1. Physicè secundum Deitatem: 2. moraliter seu meritoriè secundum humanitatem: Et §. 9. pergit: Manet questio an etiam humanitas Christi tanquam instrumentum divinitatis physicè (hoc est realiter: Sic enim haud dubiè illud PHYSICÈ, allegati auctores nobiscum intellexerunt) concurrerit ad eosdem effectus? Hoc urgent auctores secundæ operationis. Sed argumenta illorum non convincunt.*

IV. Ubi primùm observandus est egregius ille consensus Pontificiorum, quem indefinenter crepant. Sanè duæ hæ opiniones *ἀσπρόδω* sunt oppositæ: & una alteri manifestè contradicit, eamq; subvertit.

V. Deinde etiam inde manifestum est, quàm verum sit, quod Jesuitæ aliàs contra nos defendere contendunt, nullum in Patru, etiam inter Scholasticos, Idiomatum, & quidem in specie omnipotentia communicationem, unquam statuisse; Cum hoc loco Jesuita Becanus fateri cogatur, non paucos etiam inter Scholasticos hanc doctrinam fovisse & acriter defendisse, cum potentia faciendi miracula sit ipsa Dei omnipotentia.

VI. Quocirca posterior sententia planè eadem est cum nostra, quando quidem & nos statuimus, Divinam naturam in illa communicatione manere *πρωτων δεκτικον* divinorum idiomatum, causamq; principalem: Humanam verò naturam illa realiter accepisse communicata, sed instar instrumenti: Proindeq; per communicatam omnipotentiam, omniscientiam, virtutem vivificandi, &c. revera operatam esse & adhuc operari, ferè:

ferè illum in modum ut anima se ipsam suasq; virtutes & idioma communicat cum corpore, corpusq; per communicatas virtutes operatur, sed ut organum animæ, indeq; corpus organicum appellatur.

VII. Unde etiam ipse Lutherus, Damascenum secutus, vocem *organi* tribuit humanitati, uti Doct. Ægid. Hunnius in suo libello *de persona Christi*, sub tit. *sententia divi Lutheri*, ejus verba allegat & sic latinè vertit: *Ideo verba Lucæ quam simplicissimè intelligamus de humanitate Christi, quæ fuit organum & domicilium Divinitatis.*

VIII. Esse autem potentiam humanitati communicatam, alibi fusiùs à nobis demonstratum est, in præsentiarum tantùm duo placet repetere argumenta, quæ Becanus adducit & refutare allaborat. Sic autem Jesuita §. 3. *Altera sententia*, inquit, *probari solet: primò ex illo Luca 6. v. 19. Virtus de illo exibat & sanabat omnes; & cap. 8. v. 46. Tetigit me aliquis: nam ego novi virtutem de me exivisse. Hac verba videntur significare aliquam Physicam (id est realem) virtutem ex humanitate Christi emanasse.*

IX. *Argumentum hoc*, (respondet Becanus §. 10.) *non convincit: quia verba scripturæ possunt aliter exponi. Quod enim dicit Christus virtutem de se exivisse, nihil aliud est, quam effectum aliquem supernaturalem egressum esse à Divinitate Christi, quatenus erat conjuncta humanitati. Imò quotiescung; scriptura loquitur de Christo faciente miracula, vel remittente peccata, semper loquitur de illo, tanquam de causa principali, Matth. 8. v. 1. Domine si vis, potes me mundare: volo mundare. Et infra v. 26. Tunc imperavit ventis & mari & facta est tranquillitas magna: Et Luc. 7. v. 14. Adolescens tibi dico surge. Et Johan. 11. v. 43. Lazare, veni foras.*

X. Effectum illum supernaturalem egressum esse principaliter à Divinitate Christi non inficiamur: id autem factum

non esse per humanitatem, hoc est, quod negamus: Cum allegati textus satis perspicue contrarium arguant. Quandoquidem Christus in semetipso cognoscens, virtutem ex sese prodidisse, quia tantum & tam divinum miraculum latere noluit, idcirco, referentibus *Marco c. 5. v. 30. Luca 8. v. 45.* conversus in turbam, dixit: *quis tetigit vestimenta mea*, non quod ignoraret omniscius, sed ut ad confessionem publicam, & narrationem rei gestae mulierem protraheret. Petrus quaestionem Christi absurdam ratus, ait; *Turba te constringunt & affligunt, & dicis quis me tetigit?* Verum Christus indicat, se non de nihilo quaerere: *Omnino, inquit, aliquis me tetigit. Nam ego novi virtutem ex me exivisse.* Sensit ergo verè in sua humanitate potentiam signorum Dei operatricem in sananda Hæmorrhousa sese per carnem exerere. Uti etiam hoc ipsum *Luc. 6. v. 19.* asseritur: *Omnis turba quærebat eum tangere, quia virtus ab illo exibat & sanabat omnes.* Tangebatur autem secundum carnem Christus; quippe in quo, ratione nimirum carnis, omnis plenitudo Deitatis habitabat & adhuc habitat, corporaliter *Col. 2. v. 9.* hoc est, tanquam in proprio suo corpore, ut Patres interpretati sunt: non autem otiosè in illa habitat, sed maxime ενεργητικῶς. Atque hæc etiam causa est, quod Prophetæ & Apostoli in describendis Christi miraculis, non λόγος nudi sive absoluti sine carne, sed Messiae miracula describunt: nempe qui ad hæc facienda secundum carnem unctus est virtute λόγος propria: quâ indutus Christus obambulavit benefaciendo & sanando omnes oppressos à Diabolo, *Actor. 10. v. 38.*

XI. His ergo ita explicatis argumentamur: Qui sensit in sua carne omnipotentem virtutem divinam, sese per illam suam carnem exerentem, in sananda Hæmorrhousa, ille per suam carnem miraculosam sanationem præstitit, & sic omnipotenter egit: At Christus sensit in sua carne omnipotentem virtutem divinam, sese per illam suam carnem exerentem: E. Christus per suam carnem miraculosam sanationem præstitit & omnipotenter egit.

XII. Por-

XII. Porro: Qui per contactum carnis suæ supernaturaliter sanavit ægros, ille per carnem suam omnipotenter egit: At Christus per contactum carnis suæ supernaturaliter sanavit ægros: E. Christus per carnem suam omnipotenter egit.

XIII. Porro: In quo, tanquam in proprio suo corpore, habitat tota plenitudo Deitatis, in illo non habitat otiose sed maximè ενεργητικῶς: Atqui in Christi humanitate, tanquam in proprio suo corpore, habitat tota plenitudo Deitatis: E. in Christi humanitate tota plenitudo Deitatis non habitat otiosè, sed maximè ενεργητικῶς: Et per consequens tota illa plenitudo agit & efficax est per illam suam humanitatem.

XIV. Porro: Quicumque in referendis Christi miraculis, non λόγος nudi sive absoluti sine carne; sed Messiaë miracula describunt, utpote qui ad hæc facienda secundum carnem unctus est virtute λόγος propria; illi miracula præstita, non nudo λόγῳ, sed λόγῳ, ut incarnato, & sic etiam humanitati adscribunt: Atqui Prophetæ & Apostoli in referendis Christi miraculis, non λόγος nudi sive absoluti sine carne; sed Messiaë miracula describunt, ad ejusmodi miracula facienda secundum carnem, uncti virtute λόγος propria: Ergo Prophetæ & Apostoli miracula præstita non nudo λόγῳ sed λόγῳ ut incarnato, & sic etiam humanitati adscribunt.

XV. Hanc orthodoxiam etiam Patres in primitiva Ecclesia sunt constantissimè secuti: Sic enim *Cyrillus lib. 4. in Levit.* de hoc ipso miraculo sanatae Hamorrhoidæ scribit. *Quia intellexit, quæ esset caro sancta sanctorum, idcirco accessit & ipsa: Ipsa qualem carnem sanctam contingere non audet: nondum enim mundata erat, neque quæ perfecta sunt apprehenderat, sed simbriam tetigit vestimenti, quo sancta caro tegebatur, & fideli tactu virtutem elicit ex CARNE, qua se ab immunditie sanctificaret, & plagam, quam patiebatur, sanaret.* Et Theophylactus in Marcum de hoc miraculo: *Tetigit autem (inquit) vestem Christi, hoc est, carnem ejus, & sanata est. Qui credidit enim eum esse incarnatum Deum; is est qui tetigit vestimentum ejus.* Et in c. 8. Lucæ idem Theophyl. ait: *Novi enim, inquit,*

inquit, virtutem à me exiisse. Meritò. Prophetæ enim non habebant virtutem de se egredientem, sed gratia Dei operabatur miracula: Jesus verò cum fons esset omnis boni, & omnis virtutis, habet & virtutem à se egredientem. Et Athanasius Sermone quarto contra Arianos scribit: *Etiam hæc opera, quæ propria sunt verbi, utpote resuscitare mortuos, cæcis visum reddere, mulierem, quæ profluvio sanguinis laborabat, sanare, etiam hæc opera, inquam, mediante corpore ejus perficiebantur.*

XVI. Ergo & Patres ipsi nobiscum consentiunt, & docent, quòd non à sola Deitate miraculosa hæc sanatio sit profecta, sed quòd Deitas per humanam naturam sit operata: Proindeq; nullo modo ab ejusmodi miraculosis operationibus humanitas excludenda, uti hîc facit Becanus, idq; duobus modis probare attentat: nimirum 1. *Quia non opus sit ad virtutem Deitatis concurrere aliquam instrumentalem.* 2. *Quia Sacra scriptum quotiescunque loquitur de Christo, faciente miracula, semper de illo loquitur, tanquam de causa principali.*

XVII. Ad priorem rationem respondemus, non ex nostro cerebro judicandum esse, quid opus sit, vel non sit ad exertionem virtutis Deitatis, unitæ cum humanitate: cùm id solùm æstimandum sit ex ordinatione divina & unione hypostatica duarum naturarum in Christo, in sacris literis nobis revelatâ. Hæc verò testatur & docet, quod in operationibus miraculosis humana natura nequaquã à divina natura & virtute sit separanda, sed ut semper cum illa unita est unione arctissima, sic etiam in illis ipsis operationibus cum illa sit conjungenda, ita, ut quæ admodum humana & divina natura constituunt unum suppositum, sic quoque ab illo, ut $\sigma\omega\theta\acute{\epsilon}\tau\omega$, proficiatur unum $\delta\iota\omega\tau\acute{\epsilon}\lambda\epsilon\sigma\mu\alpha$.

XVIII. Et, quod probè hîc tenendum est, dici quidem sano sensu potest humana natura *instrumentum Deitatis*, sed ita, ut corpus humanum dicitur organum respectu animæ hominis. Corpus autem humanum in unione cum anima constitutum, duplicem habet respectum: unum ad hominem: alterum ad animam. Ad hominem habito respectu, corpus nullo modo dici

dici potest ejus instrumentum, cum hoc nequaquam ingredia-
tur constitutionem essentialem ejus, cujus instrumentum esse
dicitur; sed tantum in actione causae principali subordinetur &
ab ipsa elevetur: Corpus vero essentialem hominis constitu-
tionem ingreditur, ipsumque cum anima, tanquam pars cum par-
te, essentialiter constituit: Corpus ergo hoc respectu non est
instrumentum, sed pars essentialis hominis. Ad animam vero
habito respectu, corpus quidem analogice instrumentum dicitur,
sed non proprie ut malleus dicitur instrumentum fabri. Nam in-
strumentum proprie dictum v. g. malleus, neque personaliter
neque essentialiter cum sua causa, principaliter agente, con-
jungitur; sed duntaxat in operatione cum illa accidentaliter
unitur, ut, quando libet, deponi possit: Corpus vero humanum
& personaliter & essentialiter cum anima est unitum; quare &
hoc modo, ab instrumento proprie dicto, rursus distinguitur
& instrumentum dici nequit.

XIX. Deinde instrumentum, proprie dictum, id est,
quod a causa principali in & per actionem elevari potest, ut ad
producendum effectum concurrat, non vero ante illam actio-
nem elevatum est: Verum corpus humanum non tantum aptum
natum est, ut in & per actionem vitalem ab anima elevetur, sed
per generationem & unionem essentialem & personalem du-
dum elevatum est, ut in actione nova elevatione non sit opus.
Ut oculus, quia pars est corporis humani & propterea semper
actu vivit per communicationem; utique sive actu videat, si-
ve non, semper ad videndum est & manet elevatus. Ergo ne-
que sic proprie dici potest corpus humanum instrumentum.
Manet ergo, id organicum dici tantum ex ea ratione, quod a-
ctiones vitales non primo ab ipso, sed ab anima pendeant, ip-
sum autem per unionem ad illas praestandas elevatum sit.

XX. Idem jam dicere possumus de humana Christi na-
tura, quod in unione cum divina natura duplicem habeat re-
spectum; unum ad totam personam Christi, sive ad totum
Christum; alterum ad Divinitatem. Habito respectu ad per-
sonam & Christum totum, humanitas instrumentum dici ne-
quit.

B

quit.

quit: Cum ingrediarur propter unionem personalem constitutionem personæ, Christumq; ut pars personaliter constituit, proindeq; hoc respectu non instrumentum sed pars personæ Christi dicenda est. Habito verò respectu ad divinitatem, humanitas quidem analogicè instrumentum dicitur, non verò propriè: Cum personaliter & sic insolubiliter cum Deitate sit unita, proindeq; deponi non possit, ut instrumentum propriè dictum. Quare & hoc modo ab instrumento distinguitur, & instrumentum divinitatis dici nequit. Porro nec humanitas in actione elevatur, sed per unionem hypostaticam elevata est super naturalem suam rationem & conditionem, assumpta in confertium S. S. Trinitatis; quippe secundæ personæ pars facta. Quare & hoc modo humanitas divinitatis instrumentum non propriè dicitur.

XXI. Relinquitur ergo, quod humanitas tantùm suo modo divinitatis instrumentum dici queat, quod virtus agendi in operationibus theantricis non *πρώτως* sit in humanitate, sed in divinitate & hæc communicando per humanitatem agat. Ut ergo propter unionem essentialem opus est ut anima suas actiones vitales per corpus producat, proindeque cum anima concurrat: Sic quoque statuendum omnino est, propter unionem personalem opus esse, ut divinitas (si non impediatur exinanitionis statu) suas actiones & operationes miraculosas edat & efficiat per humanitatem.

XXII. Ex his quoque facile sumi potest ratio, cur Sacra scriptura, quando loquitur de Christo faciente miracula, & remittente peccata, semper de illo loquatur tanquam de causa principali. Cum enim divina & humana natura constituent unam personam, unum Christum, à quo fluit actio miraculosa: & humana natura in respectu ad Christum & totam personam non se habeat ut instrumentum, sed reducatur ad unitatem causæ principalis, agentis ex se & per humanitatem unâ eademq; virtute, nempe divina; utique Sacra scriptura aliter loqui noluit: cum instrumentaria causa, propriè dicta, hic locum non habeat.

XXIII. Tantum itaque abest, ut exempla allegata contra nos probent, ut sententiam nostram manifesta demonstratione confirmet. Nam Leprosus *Matth. 8. v. 3.* quemnam invocabat, *Domine, si vis, potes mundare?* Sane illum invocabat, quem videbat: videbat autem Jesum, non secundum divinam, sed secundum humanam naturam. Deinde quis respondit, & quatenus respondit? sane is, quem invocabat; sed invocabat, quem videbat, & quatenus videbat: qui etiam & voce & manu illum sanabat. *Extensa enim manu, inquit Matthæus, tetigit eum dicens: Volo, mundus esto. Et confestim mundata est lepra illius.* ergo mediante contractu humanitatis, mediante voce loquentis & mandantis est sanatus. De reali ergo, non de morali actione humanitatis, hic loquitur Evangelista.

XXIV. Quod etiam patres testantur. Sic enim Theophylactus in hunc locum: *Cum igitur descendisset, inquit, adoravit, magnam præ se ferens fidem. Non dixit, si obsecraveris Deum, curabis me: sed si vis, & ideo est Christus.* En excludit hic expressè Theophylactus actionem moralem, qualis fuit Prophetarum & Apostolorum in edendis miraculis; & urget actionem realem, quia sit Christus. Et porrò in immediatè subsequentibus tres rationes colligit idem Theophylactus, cur tetigerit leprosum: quod nempe ostenderit; 1. *legi se non esse obnoxium, quæ leprosum tangere vetuerat, sed potius legis Dominum.* 2. *quia mundo nihil sit immundum & 3. quòd Sancta ejus caro sanctificationem communicet.* Et idem Theophylactus in cap. 5. Lucæ, ubi de eodem miraculo Sanati leprosi disserit: *Interim, inquit, & hoc indicabat, quòd Sancta ejus caro divinam habeat virtutem & purificet, & vivificet, utpote quæ sit caro Verbi DEI.*

XXV. Chrysostomus homil. 26. ideo factum docet, ut ostenderetur *αὐθεντία & δεσπότης* Christi Medici. Nam Helisæus 2. Reg. 5. Nahamanum quidem non visum ad Jordanis fluentia mittit: Christus verò ostendit, quod non ut famulus, sed ut Deus curet ac TANGAT. *Ὁ δεσπότης δεικνῆσιν, αἰτ, ὅτι ἔχ, ὡς δὲ λ, ἀλλ' ὡς κύριος. Ἰεροπέυει καὶ ἀππεται: ἔ γδ ἡ χεῖρ ἀπὸ τῆς λέπρας ἐγένετο ἀκαθάρτης.*
B 2 *αἰτία*

ἀλλὰ τὸ σῶμα τὸ λεπρὸν ἀπὸ τῆς χειρὸς τῆς ἀγίας καθίστατο
καθαρὸν. Christus ostendit, quòd non ut famulus, sed ut Domi-
nus curet ac **TANGAT**: non enim tangentis manus immunda
est facta per lepram; sed per **SANCTAM MANUM** leprosi
corpus mundatum. En per manum & quidem tangentis non
sine ejus manu, non etiam apud ejus manum saltem facta est
sanatio.

XXVI. Consentit quoque Damascenus, qui libro 3. Or-
thod. fid. cap. 15. Κοινωνία ἀποτελεσμαίων communicationem
operationum hinc conformat: quia non solum verbo, sed et-
iam tactu, & non solum ut Deus, verum etiam ut homo divina
signa operatus est θεαθεμιῶς: ἢ ἀνθρωπίνως γὰρ (ait Damasce-
nus loco all: mihi pag. 235.) ἐπραττε τὰ ἀνθρώπινα: ἢ γὰρ ἀν-
θρωπῶ μόνον, ἀλλὰ καὶ θεός, ὅθεν καὶ τὰ τέτρα πάθη ζωοποιεῖ
καὶ σωτήρια; ἢ δὲ θεϊκῶς ἐνήργει τὰ θεῖα, ἢ γὰρ θεός μὲν ἔστι,
ἀλλὰ καὶ ἀνθρώπῳ. ὅθεν δι' ἀφῆς καὶ λόγῳ καὶ τῶν τοιού-
των, τὰς θεοσημίας ἐργάζετο: Non enim humanitus faciebat
humana: non ut homo solum, sed ut Deus, unde & passiones ejus
vivificantes & salutare: Neq; divinitus operabatur divina. Nam
non Deus solum erat, sed & homo: Unde **per tactum & sermō-
nem**, & id genus similia, divina signa operabatur. Ex qui-
bus manifestissimum est, quod Jesuitarum opinio de operatio-
nibus miraculosis Christi, totiantiquitati repugnet.

XXVII. Si quod ex eodem capite 8. v. 26. allegatur: Tunc
imperavit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna: Quis
& secundum quam naturam imperavit ventis & mari? Is sanè,
qui dormiebat, quem excitabant discipuli, qui voce sua incre-
pabat ventis, & de quo homines dicebant: *Qualis est hic, quia
venti quoq; & mare obediunt ipsi*: Ille autem erat Christus secun-
dum humanam naturam: Ergo non sine, sed cum humanitate
& per illam miraculum hoc factum est.

XXIIX. Eodem modo statuendum de illo Luc. 7. v. 14. *Adolo-
scens tibi dico surge*: Et Joh. 11. v. 43. *Lazare veni foras*. Sane & ibi
dixit ore humanitatis, *Surge*: & hīc voce humana imperavit La-
zaro, ut exiret foras. Ergo miraculum utrumq; Christus nō sine
humanitate, sed cum illa & per illam effecit.

29. Ne

XXIX. Neq; est, quòd rursus sophismate suo nobis molesti sint Jesuitæ, concurrisse humanam naturam mortaliter, non realiter. Primò, id nullo modo ex scriptura probabitur, sed potius contrarium inde manifestum est. Quandoquidem si hoc verum esset, tum non major tribueretur potentia humanitati Christi in edendis miraculis, atque fuit Eliæ, Elisæi, & similibus Prophetarum & Apostolorum, quando ipsorum vel vocem vel contactum, &c: subsequutus est miraculosus effectus. Deinde operatur, ut diximus, divina natura per humanam, ut anima hominis per corpus suum organicum: Verùm anima agit per corpus realiter & per realem communicationem virtutis & ἐνεργείας: non agit absolutè respiciendo moraliter corpus; vel contra.

XXX. Realis quoque actio sive physica, ut loquuntur Jesuitæ, & moralis toto genere distinguuntur; quæ ad unum ἀποτέλεσμα producendum non concurrunt, nisi fluant ex diversis suppositis: Vt moraliter agit Dominus mandando; Physicè & realiter agit servus obtemperando, & mandatum Dei exequendo: Sic moraliter egit Elisæus petendo à Domino, ut viduæ filius vitam reciperet: realiter egit Jehova vitam largiendo defuncto. Si ergo diversæ illæ actiones divinitatis & humanitatis, ad unum ἀποτέλεσμα producendum concurrunt; utique alia persona erit divina, & alia humana natura; quod est contra fidem catholicam. Eandem itaque actionem, sive originaliter sit à divina natura, sive ab humana, producit Christus ἢ ἐνεργεῖ ἐκατέρῃ φύσει ἐν αὐτῷ. μὲ τῆς θατέρῃ κοινωνίας, & agit utraque in ipso natura cum alterutrius communicatione, ait rursus Damascenus loco allegato. Et ibidem mihi, pag. 234. *Neque enim vivificat Lazarum humana natura, neque lacrymatur divina potestas: nam lacrymæ humanitatis propriæ: vivificatio autem hypostatica vitæ. Attamen utrumque communiter, utrique naturæ convenit ob identitatem hypostaseos. Et mox: Et ejusdem sunt & ea, quæ divinitas, & ea, quæ humanitas: nam divina signa operabatur, sed non sine carne.*

XXXI. Ad secundum argumentum respondet Becanus

B 3

§. II.

§. II. Neque illud convincere. Quando enim Concilium Ephesinum definit (addit) carnem Christi esse vivificatricem, non vult significare, carnem Christi habere vim instrumentalem physicam vivificandi, sed esse carnem verbi vivificantis, & non puri hominis. Nam concilium illud celebratum est contra Nestorium, qui negabat carnem Christi hypostaticè unitam esse divinitati, asserens aliam esse personam carnis, aliã divinitatis. At concilium è contrario definit, carnem Christi non esse carnem puri hominis, sed carnem verbi vivificantis, & ideo posse vocari carnem vivificatricem. Sic enim loquitur can. II. Si quis non confitetur, carnem Domini vivificatricem esse, & propriam ipsius verbi Dei, sed velut alterius præter ipsum, conjuncti eidem per dignitatem, aut quasi divinam habentis habitationem, ac non potius vivificatricem esse, quia facta est propria verbi, cuncta vivificare valentis, anathema sit.

XXXII. Respondemus de vi instrumentaria physicâ hic non volvi quæstionem; sed de communicatione virtutis infinitæ, miraculosè operatricis, quæ per humanam naturam operetur, tanquam suo modo per organum suum proprium. Hoc quæritur, & hoc est, quod cum orthodoxa vetustate affirmamus. Sic enim scribit Damascenus loco alleg. nempe lib. 3. de fide orth. cap. 15. pag. mihi 234. τῶν μὲν ἐν οἰκείων ἀνχημάτων ἡ θεότης τῷ σώματι μεταδίδωσιν, αὐτὴ δὲ τῶν τῆς σαρκὸς παθῶν ἀμάρτυρ ἀμέτοχος: ἔγδ ὅσπερ ἀπὸ τῆς σαρκὸς ἡ θεότης τὸ λόγος ἐνήργη, ἔγω ἀπὸ τῆς θεότητος ἡ σὰρξ αὐτὴ ἐπαχεν, ὄργανον γδ ἡ σὰρξ τῆς θεότητος ἐχορηγᾷσεν: Ideo proprias glorificationes divinitas corpori transfundebat: at ipsa permanebat passionum carnis immunis. Non enim quemadmodum per carnem divinitas Verbi operabatur, hunc etiam in modum per divinitatem ejus caro patiebatur: Nam CARO DIVINITATIS ORGANUM erat.

XXXIII. Falsum itaque est, hanc esse mentem Concilii Ephesini & orthodoxæ antiquitatis: Esse quidem carnem verbi vivificantis & non puri hominis: non verò propterea verbum revera
per

per carnem vivificare, ut caro revera dici queat vivifica: Quin potius dogma hoc pugnat cum universa antiquitate: cujus dicta, contrarium probantia, magno numero allegata videantur apud Doctor. Aegid. Hunnium in libello suo de persona Christi sub titulo de carne vivifica.

XXXIV. Et sanè imprudens facinus est Becani, quod absurdam suam opinionem ex Canone undecimo Ephesini Concilii se demonstrare posse gloriatur: cum canon ille *ὁσαρρῆδην* ipsi contradicat. Definit quidem concilium illud contra Nestorium, carnem Christi non esse carnem puri hominis, sed carnem vivificantis *λόγος*: inde verò demonstrari nullo modo poterit, allegatum ejus canonem docere ac præcipere, quòd caro Christi tantum nominatenus dicenda, in rei autem veritate non sit vivifica. Nam primum non dicit canon, *si quis non confiteatur, carnem Domini dicendam esse vivificatricem, propterea quòd sit ipsius Verbi Dei propria*: sed sic jacent ejus verba: *si quis non confitetur carnem Domini vivificatricem esse: & propriam ipsius Verbi Dei.* Ergo utrumque vult canon, ut statuatur & credatur, quòd caro Christi sit vivifica, & quòd sit ipsius Verbi Dei propria.

XXXV. Deinde docet ac jubet, firmam fide tenendum esse, *carnem Domini non esse alterius præter ipsum, conjuncti eidem per dignitatem, ut quasi divinam habentis habitationem, sed potius VIVIFICATRICEM ESSE* (non quidem propriam suam & naturali virtute, sed virtute communicatam Verbi, quare statim conjungit causam canon, cur caro Christi sit vivifica nempe) *quia facta est propria Verbi cuncta vivificare valentis.* Quare in posteriore sui parte primum docet & expressis verbis tradit: *Quòd caro Christi sit vivifica.* Deinde addit veram rationem, nempe *quòd caro Christi sit vivifica, quia λόγος, cujus propria facta est, omnia valeat vivificare.*

XXXVI. Atque hanc esse veram concilii Ephesini sententiam, testem habemus locupletissimum *Cyrillum*, quippe qui præcipuus fuit in illa Synodo, quiq; in libro ad Euoptium, & quidem in defensione hujus ipsius Anathematismi undecimi, ita

ita scribit: *Quia autem vita secundum naturam est λόγος, qui ex Deo Patre est, vivificatricem declaravit carnem suam; & hac ratione nobis facta est benedictio vivificatrix. Et ibidem ait: Scire autem opera pretium est, quod, sicut supra diximus, proprium est corpus ejus λόγος, qui omnia vivificat. Quoniam autem est corpus vite, vivificum est. Nam per hoc mortalibus corporibus nostris largitur vitam, & mortis imperium evacuavit. Quid verò clarius dici posset?*

XXXVII. *Objicit & hoc Becanus §. 12. Quod λόγος per suam humanam naturam non possit operari nisi sit præsens; At humana natura sapissimè non fuit præsens, ubi fiebant miracula: Ergo non potuit operari per illam. Majorem probat, sed non opus est probationem illam addere, cum majorem in præcedentibus concessimus; eaque demonstravimus: Quia λόγος jam per exaltatam carnem omnia operatur, illud fieri non posse, nisi humana natura statuatur omnipræsens, & omnibus creaturis adesse. Videamus itaque quomodo minorem probet.*

XXXVIII. *Minor, inquit, patet, quia humanitas certo spacio distabat ab effectibus supernaturalibus, quos divina virtute producebat, ut verbi gratia à productione gratiæ & remissione peccatorum in alterius anima: à curatione morborum in aegrotis distantibus; ab ejectione Dæmonum in corporibus obsessorum: & sic de aliis passim.*

XXXIX. *Respondemus, distinguendum esse inter statum Christi exinanitionis & exaltationis. In statu exaltationis extra controversiam est apud nos Lutheranos; Christum omnia in omnibus operari per humanam naturam; proindeque omnibus in universum præsentem esse, à nullis absentem. In statu verò exinanitionis quia non omnia per humanam naturam fuisse operatus, utique non est necesse, ut statuamus, statim ibi fuisse Christi humanam naturam, ubi conspicua fuerunt effecta divina. Dicimus ergo humanam Christi naturam præsentem fuisse etiam in statu exinanitionis illis miraculosis effectis, quæ per illam producta sunt; quæ verò λόγος absolutè peregit, illis etiam humanam naturam præsentem fuisse, nulla necessitas nos cogit, ut statuamus. Ut Job. 5. v. 17. dicit Christus: Pater meus*

meus usque adhuc operatur. Et ego operor: & loquitur de rerum omnium conservatione ac gubernatione; quæ licet ubiq; esset: nihilominus quia per humanam naturam in statu exinanitionis non perficiebatur: frustra inde quis omnipræsentiam carnis Christi etiam in statu exinanitionis demonstrare contenderet. Hæc de omnipotentia:

XL. Sequitur Omniscientia divina, de qua Becanus lib. superius allegato cap. 9. q. 1. ejusmodi proponit quæstionem; An Christus intellexerit aliquid per scientiam increatam. Et statim, S. 1. subjicit: Sensus est, an intellectus vel anima Christi potuerit formaliter intelligere per ipsam actualem cognitionem increatam Dei? Affirmant Hugo de S. Victore, tom. 3. suorum operum, in libro de Sapientia anime Christi, ubi asserit, animam Christi esse sapientem & intelligentem per sapientiam & scientiam increatam Dei, quæ ipsi substantialiter communicata sit, per unionem hypostaticam. Unde infert, animam Christi omnia scire, quæ Deus scit: Nihilominus tamen animam Christi non ita esse sapientem & scientem, sicut est Deus. Nam licet uterq; sit sapiens & sciens per sapientiam increatam, hoc tamen interesse, quod Deus haberet illam sapientiam per naturam; Anima Christi per gratiam. Hinc ulterius fieri, ut Deus non tantum sapiat per sapientiam increatam, sed etiam sit ipsa sapientia increata: Anima autem Christi sapiat quidem per sapientiam increatam, non tamen sit ipsa sapientia increata.

XLI. Ubi primum notandum est, Hugonem non addere modum suæ assertioni, nempe humanam naturam formaliter intelligere per sapientiam & scientiam increatam, ut quidem fingit Becanus, sed simpliciter sine addito modo dicere, quod propter communicationem factam per unionem hypostaticam humana anima reverà sciat per scientiam, & reverà sapiat per sapientiam divinam; ita tamen ut distinctio maneat inter humanam animam & Deitatem; hæcquæ dicatur & scire per suam omniscientiam, sapereque per suam omnisapientiam, & simul esse omniscientia & sapientia divina: humana vero natura statuat quidem scire, per omniscientiam & omnisapientiam, non verò esse. Quæ etiam nostra est sententia.

C

42. Si

XLII. Si autem res ita est, ut est, fatente ipso *Becano* & *Vasquetz* *disp. 50. cap. 2.* falsum utique erit, quod Jesuitæ fingunt, doctrinam de communicatione Idiomatum novam esse & à Lutheranis noviter inventam, imo, uti nonnulli hodie sine pudore effutire non erubescunt, primum post exhibitam Augustanam confessionem à Brentio & aliis confictam esse: Cum hic Hugo floruerit circa annum Christi millesimum centesimum vigesimum nonum, & sic ante annos quadringentos octoginta. Judicet ergo, qui iudicio non caret, an in hac doctrina Jesuitæ cum suis nonnullis scholasticis, ut Thoma de Aquino, qui integris centum & sedecim annis post Hugonem floruit, circa annum Christi 1265. & cæteris multis annis posterioribus; an verò nos cum Lutero, Brentio, Chemnitio, &c. cum vetustate orthodoxa consentiamus. Quandoquidem præter illum Hugonem omnes orthodoxi Patres nobiscum sentiunt.

XLIII. Sic enim *Athanasius* longo tempore ante illum Hugonem in Dialogo contra Apollinaristas scripsit: *Sicut anima in corpore, sic Deus λόγος unitus homini edit prodigia, non separatus à natura assumpta, sed placuit ei in ea, cum ea & per eam potentiam suam divinam exercere.* Et *Cyrillus* de incarnatione Unigeniti perspicue scribit: *Communes facit tanquam cum sua carne divina suæ Majestatis operationes, ut possit etiam vivificare mortuos, sanare infirmos.* Et lib. 1. in Joh. cap. 15. Sic scribit: *Indecens omnino esset, si ignis, quidem qualitatem suam conjunctæ sibi materiae posset imminere ac eo modo in se materiam transmutare. λόγος autem Dei proprium sibi naturaleq; bonum, id est, vitam conjuncta sibi carni non possit infundere.* Et lib. 4. cap. 23. *Quoniam cum vivificante Verbo conjuncta est, tota effecta est vivifica. Non enim ad corruptibilem suam naturam junctum Dei verbum detraxit: sed ad melioris virtutem elevata est. Quamvis igitur natura carnis, ut caro est, vivificare nequeat: facit tamen hoc, quia totam verbi operationem suscepit. Corpus enim est non cujusvis hominis, cujus caro prodesse*
non

non potest; sed ipsius vitæ corpus, in quo Deitatis plenitudo corporaliter habitat, facere hoc potest. Nam si mel (arrige aures Jesuita) cum naturaliter dulcescit, & dulcia facit, quibus immiscetur: nonne stultum erit vivificam verbi naturam putare non dedisse Homini, in quo habitat, vivificandi virtutem. Et lib. 9: in Joh. cap. 30. Caro illa naturalis, vitæ caro est & fuit, totam proprietatem illius, qui latitavit in illa, possidens, id est, totam vivificandi actionem. Ad hæc respondeant Jesuitæ.

XLIV. Rationes Becani sunt. 1. Quia, inquit, impossibile est propriam operationem unius naturæ, fieri operationem alterius naturæ. Verum si hæc major vera, ubique vera erit & hæc: Impossibile hypostasim unius naturæ & quidem infinitæ naturæ posse simul fieri hypostasim alterius naturæ, & quidem finitæ. Hæc verè si concedatur, neganda utique erit unio hypostatica. Deinde negamus illam: quandoquidem actio vitalis animæ communicatur cum corpore, & manet nihilominus propria animæ. Tertiò per distinctionem respondemus: Operatio unius naturæ propria, non potest fieri alterius, ut eodem modo ei nempe etiam ut propria tribuuntur, potest verò fieri alterius per concreationem.

XLV. Deinde addit duas alias rationes, 1. Quia intellectio est actio vitalis respectu intelligentis: Ergo impossibile est animam Christi intelligere per intellectionem increatam: quia intellectio increata non est actio vitalis respectu animæ intelligentis, cum nec sit subsistentialis vita animæ, nec actio vitaliter procedens ab animæ. 2. Quia falsum est, sapientiam Dei increatam, quæ est communis tribus personis, substantialiter & immediatè communicatam esse animæ Christi, sola substantia Verbi substantialiter & immediate communicata est.

XLVI. Respondemus ad primum, nos concedere libenter, quòd scientia divina essentialis, non fiat essentialis scientia ipsius naturæ humanæ, interim tamen propter arctissimam duarum naturarum unionem personalem, fieri communicationem statuimus ac probamus, ut scientia divina ἐνέργειαν suam & quasi *θεωπεῖν* res omnes, quæ fuerunt, quæ sunt & quæ erunt

runt, per humanam naturam exerceat. Virtus producendi Visum sive visiva, est propria animæ sensitivæ, operatur nihilominus per oculum, ita ut illa vis propria animæ communicetur cum oculo, & anima videat per oculum & ipse oculus revera videat: Sic scientia est & manet propria divinitatis imo est ipsa divinitas: nihilominus, quia ad id assumpta est humana natura, ut hac cum divina constituat unum ὁμοῦμενον sive personam & divina natura operetur per humanam, id quod proprium est divinitatis propter unionem & operationem, communicatur cum humanitate.

XLVII. Ad secundum supra responsum est. Breviter: Si subsistentia Verbi est substantialiter, hoc est, realiter communicata humanitati, non communicatâ naturâ divina; tum divina natura & hypostasis realiter differunt: Nam, ut supra quoque monuimus, quod realiter communicatur tertio, realiter & toto genere à se distincto, non realiter communicat secundo, illud à secundo realiter est distinctum. Deinde sapientia divina humanitati non est communicata, ut est communis: sed ut distinctè subsistit in persona τὸ λόγος & sic λόγος propria est.

XLIX. Atque hanc quoque esse sententiam orthodoxæ antiquitatis satis ex Patrum monumentis liquet. Sic enim Damascenus lib. 3. cap. 19. *Mens communicat κοινωνεῖ divinitati operanti, omnia intelligens, cognoscens & administrans, non ut nuda hominis mens, sed ut Deo unita & Dei mens existens.* Videatur & c. 21. & 22. & lib. 2. c. 22. ait: *De Domini anima propriè loquendo non dicimus consultationem, non etiam habuit ignorantiam. Et si enim erat natura ignorantis: attamen secundum hypostasin unita Verbo, omnium cognitionem habuit non ex gratiâ sive participative, sed propter hypostaticam unionem.* Nicolaus de Lyra Joh. 2. *Christus in divina natura habet eandem scientiâ cum patre, in humana natura omnia cognoscit, que Deus cognoscit.* Et Epiphanius in Ancorato: *In ipso habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter: Christus enim receptaculum est sapientiæ & divinitatis. Item, humanitas unita est divinitati, & in ipsa perfectissimè novit, utpote Deo unita.*

Haëtenus de persona Christi.

F I N I S.

99 A 6900

ULB Halle 3
002 622 092




SB

Repro

VD 77







12

IO DUODECIMA
am Confessionem,

continens
IN ARTICULI III.

De
MUNICA.

OMNIPOTEN.
OMNISCIENTIÆ.

Proposita
cademiâ wittebergenſi,

Æ S I D E
MARTINI, S S. Th.

io, Facult. Theol. Seniore,
Præposito, ac p. t.
emiæ Rectore,

SPONDENTE
G A R D O Liebelern/

resdâ-Misnico.
Auditorio Collegii veteris
diem 4. Januarii.

TEBERGÆ,
ALOMONIS AVERBACH,
M DC XXIX.